

[illegible]

JOANNIS SOGRAPHI
IN PATAVINO GYMNASIO
PUBLICI CHIRURGIÆ PRACTICÆ
PROFESSORIS

EXERCITATIO
ANATOMICO-CHIRURGICA

Habita VII. id. Decembris Ann.
CIϽIϽCCLXV.

IN QUA
THEORIA LYMPHÆ DUCTUUM
Ex obſervationibus
HUNTERI, MONROI,
Et propriis exponitur, & ad Praxim
Chirurgicam refertur.



PATAVII. CIϽIϽCCLXVI.

TYPIS COMINIANIS.

Superiorum Permiſſu.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

TRIUMVIRIS

REI LITTERARIÆ MODERATORIBUS

ANGELO CONTARENO

ÆDIS D. MARCI PROCURATORI

ANDREÆ TRONO

EQUITI

HIERONYMO GRIMANO

SENATORI AMPLISSIMO

Totique Triumvirum litterariorum ordini Præstantissimo.

JOANNES SOGRAPHI F.



ISSERTATIONEM *hanc a me hoc anno in Gymnasio ex officii instituto pronunciatam publici juris factu-*

 rus,

rus, ut Vestris nominibus splendidissimis inscripta prodiret, ac tantis gauderet auspiciis, vehementer desideravi, tum ut industriæ qualiscumque meæ in obeundo munere, quod mihi in Gymnasio & in Nosocomio exercendum liberaliter ab Amplissimo Ordine Vestro collatum est, specimen leve licet & exiguum offerrem, tum ut in eo discrimine, quod omnes subire solent, quotquot judicium de se hominum quærunt famamque tentant, eorum mi-

hi

bi præſidium compararem, quorum authoritate ac ſapientia ſtudia hæc noſtra foventur, reguntur que. Quæ diſſerendo expoſui, & quæ ad doctrinæ complementum adjeci eo a me fine ſcripta editaque ſunt, ut Optimis Adoleſcentibus qui Chirurgicæ Arti operam navant obſervationes aliquæ innoteſcerent nuper a Celeberrimis Viris habitæ & experimentis a me ſumptis ſunt illuſtratæ, quarum applicatio utiliſſima indicaretur ad rationalem Chi-

rurgiæ partem cujus cultus ab ejus quæ manuum opera utitur cultu ſejungi abſque errore, aut Artis detrimento nequit. Artis enim ejuſdem fundamentum eſt notitia fabricæ corporis humani, nec illa tantum exterior & obvia, ſed penitior atque ſubtilior, ubi ipſam obſervando attingere datum eſt, quippe cum ex hac & morborum obſcuriorum evolutio ac cognitio dependeat, & via indicetur per quam vis remediorum efficacius propage-

tur.

tur. Quam autem suscepi illustrandam in hac dissertatione Œconomiæ animalis pars ad systema vasorum pertinet ob tenuitatem diu ignoratum, deinceps lymphæ ductuum nomine notum quidem, sed minus apte explicatum, cum tamen ejusdem officium & multiplex & late patens in corpore sit, quo fit ut sperem neque observationum harum subtilitatem curiosam accusatum iri, neque doctrinam ob novitatem minus gratam futuram. Quod reli-

quum est, deum veneror, ut vos Gymnasii hujus bono diutissime incolumes florentesque velit.

Patavii Kal. Mart. MDCCLXVI.

IN-

** I **





NTER ægritudines Chirurgicis præsidiis curandas, quę glandulis conglobatis insident, ac vasorum lymphaticorum systema afficiunt, pertinaci indole, obscura genesi, progressu multiformi, remediorum adhibendorum difficultate plurimum operæ atque laboris postulant, industriam non rarò medentium frustrantur, incertis præsertim indicationibus circa easdem existen-

ſtentibus, quod minus nota ea pars huc uſque fuerit Animalis Œconomiæ, quæ ad eorum uſum, & leges pertinet. Praxis diuturna & experientia multa docuit circa eorum morborum cognitionem & curationem: majora utique doctura, ſi earum glandularum, ſi Lymphæ ductuum, ſi lymphæ circuitus uſu cognito fuiſſet illuſtrata. Morborum hoc genus ſunt ſtrumæ, Bubones Venerei, & peſtilentiales, Scirrhi, & Cancri, Tabes glandularis, & Atrophia, quorum qui ad Artem pertinent Chirurgicam, ignorat nemo, quam ſæpe fallaci ſpe, quam alias diris cruciatibus, quam raro tutis præſidiis curentur. Nam qui Topicis remediis eos morbos curare aggrediuntur, aut qui ferro aut igne idipſum perficere ſuſcipiunt, etiamſi eorum omnium adhibendorum opportunitas adſit, caute diligenterque diſtinguenda, niſi tamen origines cauſaſque in univerſa Œconomia ſcrutari, ac per-

vide-

videre, possint, plurimum ac turpiter saepe falluntur. Quo vero pacto ratiocinationem debeant instituere, ii magis agnoscunt, qui animalis Œconomiae leges ad hoc vasorum systema pertinentes penitius introspexerunt. Cum itaque munus ab Excellentissimis rei litterariae Triumviris impositum mihi, ut hodierna die ex hoc loco honoris plenissimo dicam, ita subeundum esse intellexerim, ut argumento aliquo & utilitate & dignitate spectabili Optimos Adolescentes alloquerer, tractationem hanc in praxi utilissimam, de morbis, in Lymphaticorum systemate sedem habentibus instituere decrevi, atque notionibus ab Anatomicis, & Physiologicis ratiociniis desumptis, illustrare ac evolvere. Ex eo enim pertinax imprimis eorum morborum indoles est, quod in minimis vasculis sedem habent, subtiliusque humani corporis fluidum, nutritionis proximam materiam afficiunt: late idcirco & ex peculiari

ipso-

ipſorum ductuum ſtructura in corpore propagentur: quippe cum ſyſtema hoc lymphaticorum inſtrumentum plurimarum conſenſionum in corpore habeatur. Quoniam vero non alia ratione difficilium morborum recte ſuſcipi curatio poteſt, niſi eorumdem Ætiologìa certius conſtet, atque ex Anatomes datis & animalis Œconomiæ legibus derivetur, unde indicationes firmiores, evidentioreſque colligantur; præſenti Exercitatione per eas diſciplinas, dicendo, juvabit excurrere, atque ad certius ponendam doctrinam morborum, qui ſedem habent in ſyſtemate Lymphaticorum, ex Anatomicorum Celeberrimorum nuperis obſervationibus, & experimentis a me iteratis nonnulla proferre. Quare Exercitationem hanc ita tribuo, ut primum quid pro comperto haberi queat circa originem lymphæ ductuum ſim propoſiturus. Secundo loco, quid ex ea doctrina in Œconomiæ Animalis ſcientia &

Praxi

Praxi Chirurgica circa morbos in glandulis conglobatis & vaſis Lymphaticis ſedem habentes conſequatur, obſervatione ac ratione demonſtrem.

Lymphæ ductus primi detexerunt inter Anatomicos illuſtres, Rudbeckius, aut ex nonnullorum opinione Bartholinus, (a) a quibus circa dimidium ſæculi XVI. & obſervati & perſpicue deſcripti ſunt, ut tamen & ipſi, & qui ſequuti ſunt Anatomici de eorumdem vaſorum origine & officio, incerta aut obſcura protulerint: illud vero conſtiterit, Lymphæ ductus undique in corpore a partibus mollibus ad Thoracicum ductum petere, exceptis cerebro, cerebello, & ſpinali medulla. Sunt autem generatim lymphæ ductus exilia vaſcula, pellucida, irritabilia, (b)

(a) Ex obſervatione tamen annorum, quibus uterque ſua ſcripta de inventis lymphæ ductibus edidit, conſtat ſua primum protuliſſe Rudbeckium. Vid. Append. num. 3.

(b) Haller Elem. Phyſiolog. lib. II. ſect. 3. §. 3. Boerhaav. Prælect. Academ. Tom. II. §. 250.

(1) humoren tenuem, acquosum, a plerisque corporis partibus ad commune cavum vehentia, quæque constanti semper directione versus idem cavum progrediuntur, nunquam contraria, innumeris & frequentissimis referta valvulis, in chyli receptaculum & ductum thoracicum finem nanciscuntur. Sanguifera vasa comitantur ubique, atque in suo decursu glandulas adeunt, quæ singulare genus constituunt, & conglobatæ ab Anatomicis appellantur, in quibus tot morborum genera Chirurgica arte tractandorum origo observatur. Conglobatas vero glandulas referre figura sua corpuscula oblonga, olivaria: pro varia ætate diverso modo eas glandulas se habere, in pueris plures, majores, sensim numero & magnitudine decrescere, ætate procedente, ex observationibus Anatomicis constat. Præterea singulæ intra cel-

(1) Vid. Append. num. 1.

cellulosam telam consistunt ita, ut non eidem firmiter connexæ sint, sed aliqua gaudeant mobilitate, alicubi solitariæ & sparsæ, alias statim sub cute in acervos collectæ, modo in agmina dispositæ, eâdemque ratione intra cava corporis disseminatæ. Quapropter præter eas, quæ viscera singula perreptant, faciei, maxillis, cervici, occipiti plures, itemque Pharyngi obtigere: quibus in partibus Atheromata, Steatomata Meliceriides, Testudines, Scrophulæ, Parotides, frequentissime observantur. Porro nonnullæ supra claviculas, sub Axillis, in inguinibus statim sub cute, & in artubus inferioribus disseminatæ sunt, quas Venerei Bubones, & Pestilentiales, fere semper aggrediuntur. Quę porro morborum species utcumque pro varia materiæ indole quam continent, nominibus variis insignitæ sint, singulæ tamen quatenus in glandularum conglobatarum systemate consi-

stunt

ſtunt, nequaquam inter ſe diſcrimi-
nantur, eademque ferme ratione cu-
rari hactenus conſueverunt. Conſtant
illæ glandulæ ex celluloſa tela (c)
compacta & preſſius ſtipata, ſangui-
feris vaſis ditiſſima, nervis verò pau-
ciſſimis, oculi aciem fugientibus, id-
eoque obtuſo admodum ſenſu prædi-
tæ ſunt, quo fit, ut vix dolorifici
morbi ſint, qui eas tantum aggre-
diuntur, nec conſenſu quodam par-
tes vicinas inflamment, & afficiant.
Interior vero earumdem ſubſtantia
ſpongioſa apparet, ſucco in juniori-
bus albo, copioſiore, lactique ſimili
occupata; in adultis parciore, cine-
reo, cæruleo, verſicolore. (2) Ex
his ſequitur, ut glandularum iſta-
rum morbi lente admodum erumpant,
accumulentur ſenſim, nunquam, aut
ſaltem vix doleant, difficilime ſol-
vantur, cęteris multo ſevius inflam-
men-

(c) Haller primæ lineæ Phiſiolog. Cap. VIII. num. 186.

mentur, atque nonnisi prægressa opportuna sanguinis totius temperatione, optime sanari queant.

Glandulis istiusmodi Mesenterium confertissimis instructum est lymphæ ductus comitantibus, pariterque vasa istiusmodi nullibi numerosiora aut magis evidentia duplici munere funguntur, chylum nimirum ex intestinorum cavo absorbendi, ubi adsit, eoque deficiente lympham. Atque horum quidem observatio ad ceteros lymphæ ductus detegendos duxit Anatomicos, qui tamen ut manifestè horum ortum ex intestinorum cavo cognoverunt, non ita facile porro aliorum origines perspexere, immo in varias admodum abiere sententias. Namque Malpighius, (d) cum certi quicquam hac de re detegere non potuerit, conjecturæ tantummodo innixus, lymphatica vasa a minoribus exoriri glandulis, easque

B ipso-

(d) De structura glandularum conglobatarum.

ipſorum origines eſſe conſtituit. Verum cum Nuckius (e) per iniectiones aeris & mercurii in arterias venaſque ſanguiferas utrumque hoc fluidum ſubire lymphæ ductus obſervaverit, ab iſtiuſmodi vaſis oriri lymphatica tradidit, cumque in peragenda iniectione veſſiculas attolli quaſdam viderit, opinatus eſt lymphæ ductus modo per interpoſitam celluloſam telam, modo immediate cum venis & arteriis communicare. Cui porro Nuckii doctrinę adverſatus Cowperus (f) experimentorum ope cellulas haſce interpoſitas rejecit penitus, propoſuitque veram lymphæ ductuum originem ex ſanguiferorum vaſorum cavo eſſe repetendam. Quam Cowperi opinionem Boerhaavius pręſertim (g) & Phyſiologi ferme omnes amplexi ſunt; ad quam addiderunt aliqui lymphæ ductuum primordia, ſive

(e) Adenographia pag. 52.
(f) In introduction to Bidoloos Plat. p. 5.
(g) Inſtitut. Medic. §. 242. 246. uſque ad 250.

ſive radiculas, non modo cum arteriis veniſque Sanguiferis convenire, atque per utrumque hoc vaſorum genus inflari & repleri poſſe: verum etiam cum ſecretoriis & excretoriis glandularum ductibus communicare, atque ex celluloſa tela, ex magnis cavis, ex venis minoribus, & decoloribus oriri. (h) (3)

Cum hæc non levi inter Phyſiologos aut diſſenſu, aut obſcuritate traderentur, Celeberrimi duo in Britannia Viri, quorum alter Alexander Monrous junior Edimburgi, alter vero Gulielmus Hunterus Londini, novis experimentis lymphaticorum origines & munera certius deſignaſſe viſi ſunt, acri oborta inter eoſdem lite de inventæ præſtantiſſimæ doctrinæ gloria utri tribuenda; eamque doctrinam cum non ſatis vulgatam adhuc inteligerem, experimentis, quæ Viri illi celeberrimi ſum-

(h) Haller Elem. Phyſiolog. lib. II. Sect. III. §. IV. V. VI.

pſerunt, a me iteratis, confirmatam exponere volui, ex qua tertium circuitionis genus in corpore innoteſcere, ac ſtatui poſſe videtur.

Injecta igitur in arteriam ſplenicam vituli aqua tepida, in tenuiſſimos ipſius ramos ſe ſe penetravit, & utcumque vim impulſionis augerem, non ſubivit vaſa lymphatica. Eodem facto periculo in venam Splenicam, & pauca vi inter iniiciendum adhibita; poſtmodum vero parumper manibus agitato liene, mox vaſa lymphatica luculenter apparuere.

In altero liene, Mercurio moderatè injecto in arteriam Splenicam, ſeſe per ramos ejuſdem aliquantulum penetravit, & tandem ſenſim aucta preſſionis vi intra nonnulla vaſa lymphatica ſubſtitit. Vi vero maxima adhibita, diſrupta ſunt ilico vaſorum extrema, & vaſa lymphatica elegantiſſime, repleta ſunt. Porro idem periculum repetens per

ve-

venam Splenicam, eâdem adhibita Mercurii quantitate, eâdemque ferè iniicendi altitudine & vi, restitit intra venosa vasa Mercurius; sed vix auxi vim & pondus, subiit undique Mercurius lymphatica vasa, ita ut evidentissime apparuerint. Hoc autem confecto, ut certius detegerem, num subiisset Mercurius lymphatica vasa ob disruptionem extremitatum vasorum sanguiferorum, sequenti ratione alterum experimentum sum executus.

Nimirum liene Mercurio turgescente suspenso, curavi, ut quantum fieri poterat Mercurii per venam, per quam injeceram, egrederetur, quod & manuum pressione supra lienis superficiem leniter sollicitavi. Artificio hujusmodi pleraque pars ipsius egressa est, ita ut nonnisi portio quædam alicubi adhuc superfuerit intra vasa venosa, minora, & vasa lymphatica: tum vero iterum per eumdem venæ truncum Mer-

curium leniſſima vi inieci, qui ſuo pondere actus, ilico vaſa ſingula venoſa & lymphatica rurſus replevit. Ex quo conficio, quod ſi ab extremis ſanguiferorum finibus pateret via cuicumque fluido in lymphatica vaſa, idem contingere debuiſſet, cum prima vice injectus eſt Mercurius.

His habitis in arteriam Spermaticam vituli Mercurium lente impuli, ſenſimque vim auxi; nunquam tamen impellere potui in venam ſociam, niſi quando impulſionis vi plurimum aucta, vaſa tandem lymphatica replevi. Idem contigit, cum per venam Spermaticam & vas deferens Mercurium adegi: in quo tamen animadverti, Mercurium multo citius, & minori vi adhibita ſemper ſubiiſſe vaſa lymphatica, cum per venæ truncum injectio facta fuit, quam cum per truncum arteriæ, quod quidem ex majori arteriarum robore pendere manifeſtum eſt.

In altero teſte vitulino inieci

vi magna Mercurium per arteriam Spermaticam, eâque disrupta parum Mercurii subiit venam, sed citissime per cellularem testiculi textum diffusus in lymphatica se se penetravit.

Materia ceracea (4) Monroi more præparata & iniecta leniter in arteriam Hepaticam pleramque ramorum ipsius partem replevit, neque vasa lymphatica prodierunt: impulsionis vi aucta, mox in ea se se penetravit ita tamen, ut rami plurimi exiliores arteriæ ipsius injectam ceram non receperint. Injecta igitur secunda vice eâdem materia, & fortius acta, per ramos fere singulos sese penetravit, multòque plura lymphatica vasa apparuere.

Ex quibus non tantum, sed & ex iis, quæ Monrous & Hunterus, in liene, jecinore, intestinis, mesenterio, experimenta sumpserunt, luculentissime compertum esse arbitror, origines vasorum lymphaticorum minime repetendas esse ex venis & ar-

teriis, aut ductibus extretoriis, neque ab his in illa patere injecto cuicumque fluido viam, neque idcirco liquidis juxta naturæ leges ea omnia vasa perfluentibus: sed lymphæ ductus constituere peculiare canalium absorbentium genus, quod indole, usu, proprietatibus respondet lacteis vasis, quorum cum præcipuum sit munus, ut liquores in intestinis contentos absorbeant, deferantque ad Thoracicum ductum; istorum porro sit, ut generatim in universo corpore subtiliora fluida identidem in cellulas secedentia ad Thoracicum ductum devehant. Quarè Lympha, prout morbo vario quandoque corpus afficitur, colore vario perfunditur; atque flavescit, si causæ cujusvis impetu fundatur bilis, cumque humoribus permisceatur ita, ut contenti intra cellulas liquores ipsi flavescant: qui si spissitudinem aliquam præseferant, neque facile per minima vasa moveri queant, aucta sen-

sim

ſim ab adveniente nova fluidi quantitate, ipſorum copia, prima fiunt in glandulis obſtructionis indicia, & eorum morborum, quos frigidæ naturæ Chirurgi vocant, prima obſervantur ſymptomata. Rubet quandoque videlicet ubi ſanguinis effuſio aliqua fit, quemadmodum in gravioribus inflammationibus, ſanguine ex diſruptis tenerrimis vaſculis lymphatica ſubeunte, quod multo clarius Wepferi experimento confirmatur. Ipſe namque (i) arſenico cani propinato, hujuſque veneni vi paulò poſt enecto, comperiit præter cætera, ſanguinem in lactea vaſa influxiſſe, quod tota Ventriculi & inteſtinorum cavea cruore ſpumoſo, viſcido, ob lacerationem parietum ab corrodente veneni vi ſuffunderetur. Quibus autem agitata viribus vaſa hæc lymphatica humorem ſuum deferant in Thoracicum ductum, quid

boni

(i) De Cicuta Aquat. p. 300. I. 2.

boni præstet hoc systema vasorum ex nova perspecta origine derivatum in Œconomia animali, quid tandem in Chirurgia facienda, illud est, quod secundo loco explicare constitui.

Ergo cum lymphæ ductus usu, indole, & proprietatibus congeneribus lacteis vasis omninò respondeant, viribus quantum ego arbitror, & legibus prorsus persimilibus, hæc urgere lympham, ut vasa lactea Chylum, aut liquores alios ad judicandum adducor. Nam præter vim illam solidis partibus insidentem, quæ in contenta fluida, ab iisdem evoluta exeritur, mechanicæ ille ipsæ rationes, externa pressio videlicet, & valvularum numerus, quibus consociatis absorptus in lactea Chylus nulla vi trusus promovetur sensim & sollicitatur, eumdem in lymphæ ductibus præstant effectum: quippe lymphæ ductus arteriis micantibus contigui a natura positi sunt, ut ipsarum pulsu, tum musculorum motu, & vi-

& viſcerum alterna reſpirationis actione ſuccuſſionem aliquam paterentur. Ne vero motus idoneus urgendæ lymphæ per ſuos ductus inutilis redderetur, valvulis plurimis, ſibique proximis lymphatica vaſa natura munivit, quarum idcirco non illud tantum ſingulare munus eſt, ut lympham urgeant, ejuſque motum perenni actione conſervent, quemadmodum a Nuckio (l), Liſtero, (m) & Bergero (n) propoſitum eſt: neque ut impedimento forent regreſſui lymphæ ſicuti venis datæ ſunt, ne ſanguis retroagere poſſit: namque multò pauciores, & una tantum valvula id præſtare potuiſſet; neque tandem, ut quaſi totidem retinacula parietum, eorumdem diſtenſionem ultra valvularum ſuperficiem impedirent, ut Hambergero placuit (o): ve-

(l) Adenograph. cap. 3. p. 44.
(m) De Humor. cap. 23. p. 230.
(n) Phyſ. Med. p. 83.
(o) Phyſiolog. med. §. 774. 775.

verum princeps ipſarum munus & ſingularem actionem ab earumdem numero potiſſimum & frequentia derivandam eſſe conſtituo. Ipſa namque valvularum frequentia & numerus facit, ut lymphæ ductuum capacitas in totidem minora intervalla diſpertita ſit & diminuta. Hinc cum externa preſſio quælibet leviſſimæ fluidi quantitati prædicta ratione diſpertitæ communicetur facile, eadem fluidi nullo modo regreſſuri quantitas ita propelli poterit, ut ipſius aſcenſus a proxima ſuperiori valvula ſollicitetur plurimum & adjuvetur. Quod ſi majori fluidi quantitati eâdem externa minima preſſione, motus fuiſſet communicatus, vis inde conſecuta totam fluidi maſſam ultra primam valvulam urgere nunquam potuiſſet. Ex quibus manifeſtum eſt, lymphæ ductus, quatenus ob poſitionem ſuam contigui ſunt cauſis agentibus, valvuliſque numero & frequentia plurimis inſtructi,

cti, resorptam a cellulis lympham urgere sensim & promovere. Quod si quaeratur quid boni peculiare hoc systema vasorum lymphaticorum conferat, adducendo ex universo corpore lympham in ductum Thoracicum; quaenam sit systematis hujus canalium absorbentium necessitas, cum jam ex communi Physiologorum sententia resorptio per venarum rubrarum hiantia oscula fiat. Hanc primum sententiam Hunteri elegantissimis & accuratis experimentis (5) fere infirmari, animadvertam & lymphae auttenui fluido sanguinem adituro solam lymphae ductuum patere viam demonstrari. Quapropter rationi maxime consentaneum arbitror, & Œconomiae animalis integritati congruens in primis esse, ut pars aliqua tenuissimi humoris lymphatici cum redeunte sanguine ab universo corpore per venam cavam commisceretur, qua non modo ipsius acrimoniae circumeundo acqui-

quisitæ nonnihil prospiceretur, verum etiam perenni fluidi additione, lentoris ejusdem & visciditatis nimiæ, quoad fieri posset, sic satis adimeretur. Namque ex utroque hoc vitio sanguinis morbi plures ad Chirurgiam pertinentes, per corpus universum erumpunt, iique præsertim, qui a prava ipsius diathesi cum exoriantur, utcumque vario se se prodant adspectu, ex inflammationis tamen spectata genesi, inflammatorii vocantur. Idem porro vitium si lympha tantum obtineat, subsistente sensim intra conglobatas glandulas, quas numerosi adeunt lymphæ ductus singula morborum genera superius recensita exoriuntur, usque dum symptomatum successione multiplici, finem aliquem nanciscantur. (6) Quod vero lympham sanguini commisceri natura præstituerit, id optimo consilio factum fuisse videtur, ne videlicet redux sanguis ab universo corpore,

lym-

lympha & chyli partibus nutritiis destitutus subiret cordis transitum. Nam præterquamquod nutritius liquor per vasa lymphatica advehitur, atque actione corporis totius magis elaboratus, acquirit præterea id omne, quod a resorptione corporis ipsius adiicitur. Quod enim efficiunt lactea vasa respectu intestinorum, præstant lymphæ ductus respectu totius. Quod vero Lympha tenuis & saponaceæ naturæ liquor sit, per ductus advecta suos & immixta chylo, ipsum animali naturæ assimilat: & si sola sanguinem adeat, cum ipso prompte commiscetur, ejusque cursum per cor & Pulmones faciliorem reddit: quippe maxime necessarium erat, ut lentor & acrimonia chyli & sanguinis in cava & prope cor quodammodo temperaretur. (7)

Ex quibus conjici jure potest, unicum esse in vivente corpore systema vasorum absorbentium, illudque

que esse systema lymphaticorum, quod accurata plurimorum morborum observatione, eorumque præsertim, qui glandulas obsidere solent, confirmatur. Nam quod lymphæ ductus adeant numerosi conglobatas glandulas, fit propterea, ut si quid in resorpto ab iis liquore maligni delitescat, subsistat ilico intra easdem, neque continuo ad cor deferatur: quippe constat luculentissime Bubones Venereos ex impuro contagio per vasorum lymphaticorum oscula in interna urethræ facie hiantia traducto, in conglobatis inguinis glandulis exoriri, putrido ibidem hærescente seminio. Quod si sanguis primum eo veneni genere inficeretur, atque postmodum per circuitionem ad inguina deponeretur, mirari profecto subit, recte monente Monroo, (p) cur non potius Parotides, Axillares, Cervicales,

quam

(p) Alexander Junior de venis lymphaticis valvulosis & de earum imprimis origine. Disert. Berolini. 1757.

quam Inguinales glandulæ intumeſcerent. Idem porro nutricibus infantes lue Venerea infectos lactitantibus ſæpe contingere obſervamus, & ab Huntero animadverſum eſt (q); quippe quibus conglobatæ primum axillares glandulæ tumeſcentes non dubia exhibent acquiſitæ luis indicia. Potiſſimum vero, atque in Anglia præſertim obſervatum ſymptoma eſt in Variolarum inoculatione, videlicet ut axillares intumeſcant glandulæ ejus partis, in cujus brachio inciſio facta fuit, ut Variolarum ſeminium immitteretur. A mammarum inflammatione fere ſemper conſequi glandularum axillarium tumeſcentiam, præſertim ſi morbus in ſcirrhum abeat, frequenti obſervatione confirmatum eſt; ut idcirco recte poſſit definiri Lymphaticorum morbos, qui

(q) Medic. Comm. in quo multo frequentius obſervari monet, ut axillares intumeſcant glandulæ, ſicubi mulieres a partu aut nimio lactis in mammas affluxu corripiuntur, aut intempeſtive a lactatione deſiſtunt.

glandulas impetunt, quo plures numero ſunt in eâdem parte poſitæ, eò difficiliorem & periculoſiorem præſeferre curationem: quippe facillime ex imprudenti tractatione in Cancri naturam mutantur.

Etſi vero duplex a ſalutaris artis cultoribus conſtituta ſit Venereos Bubones curandi ratio, quarum altera reſolvendo, altera ſuppurando fit, (8) atque ex his ea tutior æſtimetur, quæ per ſuppurationem abſolvitur; quippe quicquid vitiati virulentique humoris intra glandulas delitefcit, ocyſſime evitato luis diſcrimine, eliminatur: nuper tamen ceu utiliſſimum a quibuſdam propoſitum eſt, affectas eo morbi genere glandulas exſcindere penitus, & avellere, antequam virus ſubeat alveum ſanguinis, & prima appareant ſuppuraturæ glandulæ ſymptomata, idque proſpero ſucceſſu perfecerunt. (r)

Quam

(r) Monroüs loc. cit.

Quam operationem ut minime contemnendam, ſumma tamen cautione ſuſcipiendam cenſeo, & dum ſi ſanguifera vaſa ab læſione defendi poſſunt ipſaque caute inſtituatur cum Bubo tantum inguinales glandulas aggreditur, neque æger virulenta gonnorrhęa eodem tempore afficiatur. (9) Verum quod in Bubone Venereo fieri nonunquam poſſe dictat ratio, in iis tumoribus, quos ſcrophulas appellamus, minime ſuſcipiendum eſſe, ipſa morbi indoles ſuadet. Utcumque enim in conglobatis colli glandulis malum hæreat, cum tamen univerſi Lymphaticorum ſyſtematis depravatæ conſtitutioni ipſius origo debeatur, curatio certe conſequi nulla poterit, uſque dum eadem fluidorum indoles permaneat. Pręterea quod peculiare ſymptoma in glandularum morbis frequentiſſime obſervatur, animadvertendum eſt: ſæpe namque fit, ut graſſante acriter per corpus univerſum morbi cauſa,

poſt diuturnam ſuppurationem, affectę glandulę depaſcente corripiantur gangręna, neque arte ulla coercenda, niſi prius partibus ferè omnibus, ipſiſque glandulis abſumptis, totum virus funditus fuerit extirpatum, & affecta pars iterum reſtituta, quaſique renovata. (10) Quod ſi benigna ex inflammata glandula ſuppuratio quandoque contingat, aut lymphatica vaſa in artubus vulnerata ſint, tum vero tenui pellucido, jugiter effluente ex parvo foramine humore, difficillimę curationis morbus ex lymphaticorum vaſorum diſruptione ejus partis, in qua inflictum vulnus eſt, conſequitur, cui nulla alia ratione obſervante Monroo, aliiſque, (f) quam corrodentium medicamentorum opportuna applicatione, aut idonea preſſione opitulari poteſt.

Mor-

(f) Eſs. Med. tom. V. Col. de Villars traitè des playes p. 49. Ruyſch. obſ. Chir. XLI.

Morbos alios ex lue Venerea profectos peculiari quandoque addito ſymptomate (11) atque hydrargiro per chemicas elaborationes multimodis immutato, aut ſimplici forma adhibito, extirpandos, multo quidem tutius tolli poſſe conſequitur, ſi Mercurii vis eaſdem vias ſubeat, per quas morbus ipſe inductus eſt. Quare etſi multiplex hodierna die adhibendi mercurii ratio apud Practicos invaluerit, atque ſua fere cuique propria ſit morbos Venereos curandi methodus, nulla tamen, ſi quid ego judico, eâ tutior & utilior debet æſtimari, quæ fit per inunctionem: quippe quæ immediate deſcriptum vaſorum ſyſtema pervadens, morbos ex radice quaſi ſua evellere ſenſim, Practici norunt omnes. (12) Atque quod de Venerei Bubonis tutiore exſectione indicatum eſt, de peſtifero etiam intelligendum eſſe ratio ſuadet. Nam peſtiferi Bubones, ſi fiat, ut ſuppu-

rationis ope ſolvantur, profecto ſalutares valde ſunt: verum ſi contagione graſſante, nulla interpoſita mora, ſub primo morbi initio exſcinderentur, non levem afferre poſſe utilitatem operationem hujuſmodi credendum eſt, præſertim cum generatim ad avertendam peſtilentiæ acceſſionem præter Alexipharmaca plurima, multiplices commendentur inunctiones; quippe quibus ſubituro cutis foramina contagio, via nonnihil obſtruendo præcluditur.

Spontaneæ Variolarum eruptioni, idcirco inſitio pluribus in regionibus præfertur, in noſtris adhuc reformidata, magno ut videtur artis ſalutaris detrimento, atqne ſalubrior æſtimatur, quod ipſarum virus non immediate univerſam pervadat humorum maſſam, ſed minima totius corporis vaſa ſubeat, ſenſimque propagetur, ſymptomatibus multo mitioribus excitatis, quam in ſponte erumpentium acceſſione. Sed etiam

ob-

ob easdem causas saluberrimam futuram esse morbillorum inoculationem sperari posset, non tantum quod multo lenioribus consociati symptomatibus exorirentur, verum etiam quod multo minus periculi portenderent ægrotantibus; quandoquidem artificio hujusmodi affecto tantummodo Lymphaticorum Systemate, peculiare illud symptoma, cæterisque gravius, Peripneumonia videlicet, quam morbilli fere semper minitantur, averti posset, & præcaveri.

Verum preter hactenus recensita morborum genera, quæ conglobatas impetunt glandulas, non minoris momenti sunt, quæ in conglomeratis exoriuntur: quippe facile in morbos alios, eosque periculosiores, aut ex neglectu, aut ex mala tractatione commutantur, quemadmodum ex perspecta scirrhi & cancri origine, progressu, exitu vario colligitur. Prima namque morborum istiusmodi origo ab obstructa fere semper parva glan-

dula cum obſervetur, quæ ſenſim dilatatur, porro multo citius extenditur, ubi gravior quælibet externa cauſa morbum excitaverit. Atque ideo ſi quis glandulæ iſtiuſmodi exciſionem ſub initio ſuſciperet, minus fortaſſe frequens Cancrorum ſcirrhorumque perniciem portendentium obſervatio haberetur, cum fere ſemper ex neglectu potiſſimum propagato ſenſim ad vicinia, cæteraſque glandulas morboſo ſeminio, perque corpus univerſum diſſeminato, fiat, ut maligna diatheſis ſanguinem obruat, arte nulla ut plurimum, nulloque præſidio ſubigenda, quemadmodum inutilia quælibet experiuntur, cum morbus partis ex depravata humorum & ſanguinis indole tantummodo conſequitur, qua vigente, etiamſi ſcirrhi & cancri exciſio fiat integra, tamen aut nunquam ulcus conſaneſcere, aut eo ſaneſcente, morbum eumdem eo ipſo aut alio loco pronaſci iterum, conſtanti ob-

ti obſervatione confirmatum eſt.

Quod ſi rationi & experientię, quantum ego arbitror, maximè conſentaneum eſt, induratæ glandulæ exciſionem ſub initio morbi ſuſcipere, ex eâdem porro ratione nil vetat, quominus & ſtrumarum exciſio vitatis vaſis nerviſque, aliquando pertentetur. Id certè fauſto omine fieri quandoque poſſe, putandum eſt, præſertim ſi antequam plures eodem afficiantur morbo glandulæ, quæ prior intumeſcit, exſcindatur. Nam ex diuturna non tantum cruciformis vulneris ſuppuratione, verum etiam ex remediorum attenuandi, & reſolvendi vi pollentium uſu longo, conſequi tandem poſſet, ut ſublato ſenſim craſſioris lymphę vitio, morbus penitus extirparetur. Nam quod ſtrumis puerilis ætas pręſertim obnoxia eſt, curationem idcircò difficilem, & diuturniorem ferè ſemper poſtulat, atque non raro fruſtra medentium fatigat induſtriam, infau-

ſto-

ſto plerumque exitu. Cum enim ea ętate pueris major vaſorum lymphaticorum, ut & cęterorum copia ſit, tum etiam fluentium humorum quantitas proportione reſpondeat, & in lymphæ ductibus liquor, lentè admodum moveatur; ejuſdem porro ſi depravata fuerit indoles, aut ex lactis uſu, aut ex cruda, craſſa ingeſtorum qualitate, noxia aeris conſtitutione, ſubſiſtat alicubi facilè & concreſcat neceſſe eſt; atque ideo ſi qua curationis optima via eſſe poſſit, ea videatur, quæ diuturniore morboſi fluidi ſeparatione, obtinetur. Quarè eos, quibus in collo undique Strumę ſerpunt, perfecte nunquam conſaneſcere, obſervatione ſępe comperii, niſi prius ſubſecuta gangręna omnibuſque glandulis abſumptis, recentis ulceris more, licuit glutinare. Eadem fere fœminei corporis, ac puerorum conditio eſt: namque pro varia mulierum conſtitutione, ſcirrho & cancro multo frequentius, quam Vi-

ri

ri detinentur; quorum morborum ratio potissimum est deducenda, tum ex molliori ipsarum natura, & laxiori compage, tum vero ex retardata, aut suppressa penitus menstrui sanguinis aut alia qualibet excretione, aut affluxu nimio lactis densioris ad mammas post fœtum editum, præsertim si prædominante Cacochymia, gravioribus animi perturbationibus simul affectæ sint.

Seriem hanc Observationum & Experimentorum in argumento utili, & magni momenti in Arte Chirurgica, apte muneris quod gero officiis satisfacere posse sum arbitratus, ex eo imprimis, quod ex hoc loco, quem quotannis, ascendere jubeor, non vulgaris & obviæ Praxeos præcepta ad instituendos Optimos Adolescentes a me sunt proferenda, sed ex interiore arte ab Anatomicis & Physiologicis notionibus illustrata, aliqua sint in medium producenda. Consilium hujusmodi recte a me susceptum esse,

con-

conſpectus hic veſter Ampliſſimus, Profeſſores Ill. ac Sapientiſſimi probat, atque lectiſſima Auditorum frequentia, qua dum mirum in modum delector, & honeſtari me ſentio, dicendi vires latius patentes, uberiorem doctrinæ copiam mihi deſiderare non deſino, quibus cumulatius humanitati erga me omnium ſummæ reſpondeam. Egregiis Adoleſcentibus utilem operam hodierna die impendiſſe me puto, etſi alieno merito, Theoriæ omnino novæ, Lymphæ ductum videlilicet Œconomiæ fundamenta exponendo, & conſectaria ejuſdem practica indicando, quæ Theoria uſu tam late patens, quam late patet eorum ductuum in humano corpore utilitas & officium, Medicam etiam artem excolentibus ad ratiocinandum principia vera ac ſolida præbere poteſt. Quod reliquum eſt, illud unice mihi deſiderandum intelligo, ut qua ego fide, qua induſtria, & omni qualiſcumque ingenii & mentis contentione munus

in

in Noſocomio, & ex hoc ipſo loco explere pro viribus non deſino, dum ingenui Adoleſcentes fruuntur, Principum Virorum, a quibus hæc ſtudia noſtra aluntur, foventurque, decretis recte videar ſatisfeciſſe.



APPENDIX.

1. HANC Lymphaticorum proprietatem Halleri ejuſdem Viri Cl. authoritas tuetur. Ea vaſa contrahi, & vi propria quadam contentum fluidum propellere multæ obſervationes me quoque docuerunt. Hanc vim ad irritabilem potius quam ad ſenſibilem aut elaſticam naturam pertinere, aut contra, quæſtio eſt hiſce temporibus adhuc agitata.

2. Conglobatæ glandulæ genus peculiare conſtituere videntur, nec tamquam Elementa cenſeri debent glandularum majorum, a quibus peculiaria fluida ſecreta per excretorios ductus in receptacula a natura conſtituta emittuntur. Eo nimirum nomine indicantur glandulæ, quæ proprie & unice pertinent ad Lymphatica vaſa; & dictis notis diſtinguntur. Structura vero earum glandularum interior diuturnæ litis argumentum fuit, inter Malpighium & Ruyſchium, ut definirent num cellulosa, quod Nuckius & Malpighius, an vaſculoſa, quod Ruyſchius aſſerebat, eſſet ipſarum ſubſtantia. Gulielmus

mus Hunterus nuper in sæpius laudando opere (a) hæc scripsit . Ego numquam ex satis firmis observationibus quæstionem dirimere potueram in meis prælectionibus, num glandulæ conglobatæ essent cellulosæ aut vasculosæ , & quod proponebam , ex Auctorum testimonio tantum proferre datum erat . Sed frater meus Joannes ann. 1753. 1754. observavit a se potuisse uniformiter repleri eas glandulas & Lymphatica vasa ex iisdem prodeuntia , tubo in earumdem substantiam immisso, ut Nichollsius in testibus perfecit . Dum eo modo ad examen adducuntur , structuram præseferunt qualem Nuckius perhibuit. Experimentum vidi , & iteratum , & Nuckii opinionem propria observatione confirmatam protuli.... Frater meus deinceps occasione data eas glandulas eo pacto aere , mercurio , cera liquente replevit . Ipsæ semper cellulosæ apparuere , & lymphæ ductus per ipsas traduci observatum est, eo modo quem Physiologi vulgo describunt.

... Cœ-

(a) Medical commentaries Part. 1. containing a plain and direct answer to Professor Monro Jun. interspersed with remarks on the structure functions and diseases of several parts of the human body . By William Hunter . London 1762.chap.111.history of the dispute. p.34.

. . . Cœterum ea ratione facile admodum lymphæ ductus conſpicui redduntur.

3. Placet illuſtrium Virorum teſtimonia ex ipſorum operibus deprompta afferre, quo progreſſus obſervationum hac in re innoteſcat, quid ideo laudandi deinceps Hunterus atque Monrous præſtiterint, appareat: quam eamdem ſeriem, hic tamen a remotiore origine incipientem Monrous in diſſertatione ſua diligenter contexuit.

Olai Rudbeckii nova Exercitatio Anatomica exhibens ductus Hepaticos aquoſos, & vaſa glandularum ſeroſa. Cap. VI. hæc habet. Ann. 1651. 27. Januarii, mihi venas hæmorroidales canis inquirenti, vaſa quædam ſub inteſtino colon & recto jacentia, ſero plena obviam venerunt, quorum ductum altius rimatus, ſuccum ſeroſum illis contentum, veſiculæ Chyloſæ comperi immeantem.

Ann. 1652. 6. Martii bis eodem die in ove, cum venarum & arteriarum Spermaticarum Anaſtomoſes perveſtigarem, mihi perplurima vaſa limpidiſſima nodoſa, ſeroque extumeſcentia occurrebant: quæ glandularum aliquot ad venas crurales ſedem obtinentium ſuperficiem tege-

bant , atque veſiculam chyloſam aggrediebantur.

Denique anno 1653. 27. Aprilis cum meis amicis aliquibus inſertionem ductus chyliferi in axillarem venam oſtenderem ; fortuito præoculis parvæ glandulæ ſitum ſub ſterno ad claviculas, inter mammarias venas occupantes veniebant , quæ duos ramulos ſero tumentes Lacteis Thoracicis tradebant.

Cap. VII. Hos canales vaſa glandularum ſeroſa, nominandos exiſtimavi. Primo, vaſa, quod in conformatione figura, & uſu cum reliquis meatuum generibus, conveniant. Secundo glandularum , quod plerique illorum inde ſuam trahant originem. Tertio ſeroſa , propter ſuccum, quo abundant.

Dein paulo poſt : illi autem ſeroſi ductus , qui cordis latus ſiniſtrum occupant, rivulos Pericardio , ejuſque pinguedini & mediaſtino , committunt , inde glandularum parvularum auxilio uniti, arteriam Aortam traiicientes , ramulo ductui Chylifero inhiant.

Alii vero, qui multa ramulorum copia , inter muſculos tranſverſos & obliquos Abdominis propullulant , plerumque ſine

ſine glandula viſi, duorum fere digitorum transverſorum ſpatio a vena cava, uniuntur, & Lumbarium vaſorum conſortio gaudentes, veſiculam chyloſam ingrediuntur.

Qui deinde tubuli ſero pleni venas crurales comitantes veſiculam chyloſam ſub vena cava oſculis excipiunt, glandularum duarum, vel trium ſubſtantiam, inguina occupantium, tam extra quam infra amplexantur. tum paulo infra: illud autem feroſum vas, quod in Vitulis & ovibus ſub Æſophago conſpicitur, delilineare non curavi, cum ægre reliquis inſeri potuit, deſcriptionem tamen ejus non omittendam putavi. Oritur multis radicibus a glandula quadam magna, & oblonga, quam natura Æſophagi lateribus, prope diaphragma appoſuit: inde ſurſum recta fertur, & ſe ſe oſculis ductui chylifero conjungit.

Cap. X. de modo feroſa vaſa inveſtigandi.

Poſt alia multa ſic ſcribit: delectaris forſan illa quoque feroſa vaſa introſpicere, quæ in Thorace proſtant. Admoveas itaque cultrum, & Sternum ad Claviculas ferme ſepares, illudque reflectas,

 poſtea

poftea in omnem pinguedinem una cum Mediaftino, Thymo fuffultam, prope hiatum ductus chyliferi in jugularis cavitatem vinculum admoveas; quod præftitum, tibi illarum a glandulis effe originem, manifeftabit.

Thomæ Bartolini Anatome quartum renovata Lugduni 1684. *in libello primo Append. tertia de Vafis Lymphatis noftris*. Vafa hæc fuccum a fanguine, & chylo diverfum vehunt, nempe aquam, feu lympham, quorum inventio nobis poft tot in arte Anatomica confumpta tempora, naturæ faventis munere, relicta fuit. Pro qua felicitate Deo naturæ auctori vota nuncupavimus. Ea primum 15. Decembr. 1651. mihi circa hepar, & 9. Januarii 1652. mox clarius 28. Februar. 1652. etiam in axillaribus apparuerunt Hafniæ, & exinde fæpius repetita fectione in animalibus cum Michaele Lyfero paffim in corpore obfervata, a nemine antea monftrata vel defcripta, demum 1654. anni initio in Phtyfico homine eorum veritas mihi cum Henr. a Moinichen explorata. Plenam vaforum novorum hiftoriam variis fcriptis orbi propalavi; defenfionibus contra diffidentes vindicavi,

& Spi-

& Spicilegiis exauxi. Eadem mihi asseruit in duplici Apologia Martinus Bogdannus. Circa eadem tempora in Svecia similes aquosos ductus detexit, & postea descripsit Olaus Rudbeckius. In Anglia de Jolivio quoque gloriantur amici.

Ibidem de Lymphaticorum exortu. In visceribus difficulter & musculis discernas. Intima tamen illorum penetrant cum venis, ut a partibus nutritis, vel arteriis capillaribus superfluam lympham, sicut venæ sanguinem hauriant.

Idem Auctor in Altera dissertatione, cui titulus Vasorum Lymphaticorum Historia nova. Cap. V. in Methodica Vasorum Lymphaticorum descriptione.

Quoad exortum, sic loquitur. Exortus Lymphaticorum vasorum est ab extremis partibus, seu artubus, & visceribus, Hepate nempe, ex quo cum ramis Portæ prodeunt, vesicula fellis &c. Qua parte ex artubus prodeant, an a venarum extremis, vel musculis, nec dum oculus assequi potuit, ob vasorum subtilitatem. Si quis conjecturæ locus, a partibus nutritis debent emergere, ob usum postea afferendum, quamquam nec a venis capillaribus impossibilis sit exortus.

Caſpar Bartholinus Thomæ filius in ſpecimine Adminiſtrationum Anatomicarum ad Marcellum Malpighium , & Joſephum du Verney 28. *Novembris* 1678. Plura habet ſect. 2. de Lymphaticorum origine ; ſed ſect. 3. clarius ſcribit hoc modo.

Inſerviunt etiam illæ injectiones aqueæ ad demonſtrandam & oculis ſubiiciendam in Hepate , Renibus , glandulis &c. continuationem evidentem vaſorum excretoriorum cum vaſis ſanguineis, ſed mediantibus cribris quibuſcumque . Unde Lympham , quæ a glandulis ſecernitur , non quaſi phlegma a Spiritibus animalibus , ſed a ſanguinea maſſa ſubminiſtrari , evidentiſſime evinci poteſt .

Gunteri Chriſtofori Schelhammeri de Lymphæ ortu , & Lymphaticorum vaſorum cauſis ad Danielem le Clerc & J. Jacobum Manget. M. Genevenſes Epiſtolica diſſertatio . Poſtquam aliorum opiniones examinavit, ſuam proponit ſententiam de Lymphæ & Lymphaticorum vaſorum origine his verbis: Nullus autem eſt alius in corpore univerſalis humor , præter unum ſanguinem, qui per arterias ad ſingulas partes affluit ; ut adeo concludendum denique ſit, ex ipſo illo arterioſo ſanguine ,

eam

eam nobis adesse, & ab eo separatam in suas venas coniici, ut per easdem versus cor, ex quo modo venerat, cursum instituat.

Nonnullis dein adductis rationibus ait: Venæ autem Lymphaticæ, quoniam cum sanguiferis eamdem affectant viam, quid manifestius est, quam ex arteriis non omnem cum sanguine lympham in venas transmitti, sed ejus dimidium, vel circiter per vasa propria refluere ad fontem.

Nicolai Stenonis de Glandulis Tractatus. Adnotatio in margine est: Lymphæ origo immediata & motus.

Sic vero scribit; I.° Lymphaticis omnibus cum glandulis commercium esse: dicerem omnium lymphaticorum primam scaturiginem glandulas salutandas; sed cum prima Lymphaticorum Bartholinianorum origo, quo plures admittit explicandi modos probabiles, eo sit incertior; id saltem verum manet, nullum in corpore visum Lymphaticum, quod non vel oriatur a glandula, vel in glandulam inseratur.

Addit postea num. IV. ipsas adeoque glandulas omnes viscera esse, per quæ suas lymphatica dispergunt radices.

Marcelli Malpighii Epistola de structura

glandularum conglobatarum, &c. Præmissis nonnullis de structura glandularum ita prosequitur:

Certum est igitur conglobatis glandulis lymphatica vasa appendi, quæ cum ipsarum substantia intimum commercium habent, unde unicum lymphaticum minimas penetrat glandulas, & frequentissime multiplicia subintrant grandiores glandulas, ita ut ex his quæ hucusque observare potui, asserere liceat, quamlibet conglobatam glandulam Lymphaticis ditari. & paulo post ait: Ex his igitur conjectari licet, lymphatica vasa e glandulis, postremo saltem, derivare lympham. inde vero: An vero primus ex ortus & origo lymphaticorum vasorum sit a glandulis minoribus, tanquam a fontibus, dubium est, quod meam adhuc torquet mentem.... Ad inguina ejusdem animalis, a conglobata mollique glandula, copiosa & varicosa erumpunt lymphatica, quæ non longe consimilem glandulam subingressa in unum canalem anserinæ pennæ similem hiant, ita ut admissum atramentum in proximum & continuatum receptaculum chyli deducatur . . . . Ex his itaque patet, lymphatica vasa emanantia surculis a glandulis minoribus medio

dio

dio trunco, vel iisdem ramis glandulæ ampliori inseri, a qua emergentia tandem in Cysternam chyli exonerari, & terminari, & exinde non improbabiliter primum exortum a minima glandula haberi, cum lymphæ materia intermediis glandulis augeatur, & in minimis frequentissime ulterior vasorum progressus non habeatur.

Nuckius in Adenographia 1691. *Leid. De Vasorum Lymphaticorum origine*. Profitetur Vasorum Lymphaticorum principia ab arteriarum surculis emanare, idque aliquando intermedia vesicula, aliquando deficiente vesicula immediate ab arteria venave.

Plura de Scriptoris hujusce sententia, circa Lymphaticorum origines etiam per experimenta ab ipso habita, confirmata, videri possunt in dissertatione Alexandri Monroi junioris de venis Lymphaticis valvulosis, & de earum in primis origine edita Berolini 1757.

Cowperus introduction to Bidloos Tables pag. 5. Tradit veram originem vasorum lymphaticorum esse ab extremitate vasorum sanguiferorum.

Boerhaavius in Prælectionibus Academ. in institut. Medic. §. 242. 246. *ad*

250.

250. Conjecturam, quoad origines lymphæ ductuum proponit, quam multo fusius descriptam legimus in libello de Metodo studii Medici. Nulla est vena, quin habeat suam arteriam; hoc est nullum vas potest deferre versus cor, quin ab alio vase liquidum suum deferendum acceperit. Ergo vena ab aliis vasis liquidum suum habere debet. Ex eadem ergo ratione vasa lymphatica, quæ versus cor reducunt, debent ab aliis vasis liquidum suum accepisse: neque ea alia vasa possunt esse venæ: Nam venæ recipiunt, quod adtulerunt arteriæ. Ergo lymphatica vasa serum suum debent accipere a quibusdam arteriis, uti omnes venæ ab arteriis: hinc uti videmus venas lymphaticas esse; sic etiam necesse est dari lymphaticas arterias invisibiles, a quibus venæ lymphaticæ liquidum accipiunt.

Celeberrimus Joannes Baptista Morgagni, Anatomicorum Princeps de hoc argumento in immortalibus suis operibus egregia monet: Nuckii experimentum iteravit, & prima Lymphæ ductuum initia sub sensum cadere vel nullo modo, vel difficilime posse, prudentissime adnotavit. Advers. Anatom. II. Animad. 47. Epist. Anatom.

tom. ad amicum . I. num. 30. 83. 96. II. num. 5. 8. XVII. num. 42.

Hallerus in Boer. inſtitut. §. 246. in not. ad litt. (a) hæc habet : dantur ergo arteriæ Lymphaticæ non conſpicuæ, dum venæ utpote majores conſpiciuntur . Tum in Prim. Lin. Phyſiolog. cap. VIII. §. 181. ſcribit: Lympha perinde ex proximo de arteriis educi videtur.

Deinde vero in Elementis Phyſiologiæ lib. II. ſect. III. §. IV. V. VI. VII. congeſtis doctiſſimorum Virorum auctoritatibus, aſſerit , primas Lymphæ ductuum radiculas , quæ confluentes trunculos conſtituunt, cum arteriis & venis hactenus convenire, ut per utrumque genus inflari & repleri poſſint : tum etiam cum excretoriis ductibus communicare §. IV. denique ex cellulosa etiam tela ex ſimilitudine lymphæ cum ea gelatina , quæ & in fœtu & in homine hydropico cellulas adipoſas replet §. V. a magnis cavis , ſumpta a lacteis inteſtinorum vaſis analogia §. VI. a venis minoribus & decoloribus §. VII. ob Anaſtomoſes inter vaſa lymphatica arterioſa & venoſa , poſitas ab J. C. Adriano Helvetio, exoriri. Lettre au ſujet de l'ecrit critique de M. Beſſe p. 215. & Phil.

Hec

Hecquet in novo conſpect. Medic. P. II. pag. 17.

Verum ne ſingulorum fere Anatomicorum ſententias exſcribere videar, & nimio lectores tædio afficere, illud ſatis eſt adnotare, quemlibet nemine excepto, aut a vaſis ſanguiferis, aut a glandulis, aut ductibus excretoriis Lymphaticorum origines hactenus derivaſſe, quemadmodum legi poteſt apud Diemerbroeck Anat. cap. 22. Liſter. de Humoribus cap. 20. 21. 22. qui propriis etiam experimentis dari arterias Lymphaticas aſſerit. Berger. in Phyſiolog. Medic. pag. 78. Keill. in his anatomy ſect. 9. Cheſelden in his Anatomy chap. 10. Lieutaud. Elem. Phyſiolog. ſect. 2. pag. 174. ad 179. Ferrein. mem. de l' Acad. des Sciences 1741. Thom. Laurent. diſput. Medic. de Hydrope edita Londini 1756. p. 90. uſque ad 100. ſed præſertim p. 97.

His autem præmiſſis quoad inventores lymphæ ductuum, & multiplices circa ipſorum originem ſententias, placet nunc ſummam hic exhibere, litis ejuſdem inter Monroum & Hunterum exemplo non novo in rebus anatomicis, acriter agitatæ.

Alexander Monrous filius Alexandri in

in Academia Edimburgensi Anatómes Professoris celeberrimi in monumentis Edimburgensibus ann. 1754. injectionis methodum descripsit, qua Mercurio in vas deferens immisso, Epididymis integre repletur, tum & tubuli qui ex teste prodeunt pro formatione Epididymidis ; ex quo sequitur , ut procurrente hydrargiro testis massa turgeat , & ponderosior fiat , postquam externæ partes repletæ jam sunt. Eodem anno Gulielmus Hunterus Londini Medicus & Anatomicus Clarissimus , in suis Prælectionibus Anatomicis, Auditores suos monuit longe antea Experimentum illud a se fuisse sumptum. Anno sequenti Monrous junior ad doctoris gradus capessendos Thesim edidit de testibus & semine in variis animalibus, in qua ex memorato experimento doctrinam profert late patentem vasorum lymphaticorum , & ipsa non ex arteriarum , aut venarum finibus oriri , sed propria origine ex cavis tum minoribus , tum majoribus in vivente initium habere constituit , atque conficere systema peculiare vasorum absorbentium, quæ contentum fluidum ad Thoracicum ductum vehunt . Partem autem aliquam a venis etiam rubris resor-

ptam

ptam juxta communem ſententiam ad ſanguinis maſſam deferri.

Hunterus in ſuis Prælectionibus ann. 1756. Londini habitis pro more, quibus Monrous idem intererat, eam doctrinam tanquam a ſe jam pridem conſtitutam protulit, argumentis roboravit, & in memorata theſi fuiſſe pertractatam, laudi Monroi tribuit.

Ann. 1757. Monrous edidit Berolini tractatum de venis lymphaticis valvuloſis, in quo doctrinam hanc unice pertractavit, ac argumentis & rationibus ab Huntero adhibitis illuſtravit, Hunteri mentione nulla facta, in eoque ab ipſo diſſentiens, quod venis etiam rubris reſorptionis officium tribuat. Occaſione deinceps aliunde arrepta Monrous acre ſcriptum contra Hunterum propriæ gloriæ jura tuentem edidit, cui Hunterus mitiora quidem reſponſa fecit, rationibus tamen, & teſtimoniis validis adductis, ut doctrinæ ejuſdem auctorem antiquiorem ſe fuiſſe demonſtraret. Ad hæc Epiſtolæ, plures in diariis Anglicis editæ ſunt, Monroi partibus Alexandro patre & Donaldo faventibus, Hunteri vero famæ Medicis in Anglia pluribus conſulentibus.

Qui

Qui vero in Phisiologicis est versatus, intelligit non abs re inter eos fama & doctrina præstantes Viros de inuenti hujus gloria decertari. Tertium fere circuitionis genus ex eo intelligitur derivare præter majorem per corpus, & minorem per Pulmones. Nam si Lymphatica vasa unice absorbent ex cavis corporis fluidum, non autem venæ rubræ, quemadmodum opinio fert Hunteri, experimentis ab ejusdem fratre sumptis confirmata, omnino vera conjectura est, vasa lymphatica & Lactea esse appendicem venosi systematis, per quæ copia lymphæ ad circuitionis majoris perennitatem afferatur: quemadmodum glandulæ & secretoria organa appendices sunt systematis arteriosi, per quæ secretiones perfici, & superflua segregari possunt. Lympham præterea nutritionis materiam non ex venis & arteriis hiantibus in lymphatica immitti, sed exsudantem ab ipsarum parietibus, nec in nutritionis ejusdem usus subsistentem a Lymphæ ductibus valvulosis absorberi. Ex qua doctrina, si quid ego judico, certe plura explicari possunt ad Œconomiam animalem pertinentia.

4. Cl. Monrous Med. Ess. Vol. I.

art.

art. IX. sequentem conficiendi materiam ad replenda vasa aptissimam, methodum proponit. ℞. seb commun Lb. I. cer. alb. unc. v. ol. oliv. unc. III. liquentur omnia lento igne add. Thereb. Venet. unc. II. m; donec recte dissoluta sit add. cinnabar. Crystall. Virid. ær. pul. ana unc. III. m & postea traiiciatur mixtura per linteolum calefactum & servetur ad usum addito ol. aut Spirit. Thereb. Q. S.

5. Dissentiunt quidem in hac re Hunterus atque Monrous, quorum uterque cum lymphæ ductibus resorbendi officium tribuat, Monrous illud commune venis rubris minoribus, & lymphæ ductibus esse autumat; Hunterus Lymphaticis tantum vasis, minime vero venis rubris contendit, & experimentis sententiam suam roboravit. Rationum autem quibus uterque utitur, summam hic exhibere opportunum videtur. Monrous itaque (a) hæc fere habet: Lacteis vasis ac lymphaticis carere ovipara animalia, in quibus idcir-

co

(a) Observations Anatomical and Physiological Uherein Dr. Hunter's claim to some discoveries is examined. Edinburgh. 1758. of resorption by Veins. Conclusion.

co reſorptio ex cavis corporis per venas rubras fit: in Viviparis vero fœtum, quatenus in utero continetur ali reſorptione per venas rubras facta; funiculus enim Umbicalis & placenta lymphæ ductibus omnino carent. Fluida injecta in venas exſudare e cute, & in cava corporis majora. Præterea fluida aerem, aquam, glutinoſos aut oleoſos liquores colore infectos ex Meſenterica vena in cavum inteſtinorum ſeſe penetrare, per venas etiam facilius, quam ſi per arterias fiat injectio. Halleſium injectione diverſorum fluidorum facta in Aortam & venam Portarum, vidiſſe ſtrias injecti liquoris in villoſa tunica inteſtinorum, nec ſe penetraſſe tamen in Lymphatica ſeu lactea, indicio vaſa in quibus injectio facta fuit, diſrupta non fuiſſe. Bilſium vinculo conſtrictis Meſentericis arteriis vidiſſe liquorem chylo ſimilem in venis ejuſdem nominis. Hornium vinculo conſtrictis venis Meſentericis vidiſſe in iiſdem album liquorem inter vinculum & inteſtinum: Meryum obſervaſſe vini ſpiritum tranſiiſſe ex inteſtinis in venas modo dictas: Kauvium vidiſſe aquam ex ſtomacho & inteſtinis bruti recenter enecti penetraſſe in venas ma-

jores Gaſtricas & Meſentericas . Quod ſi quæratur cur natura binis vaſorum ordinibus reſorptionis muneri in viviparis proſpexerit , cui unico in oviparis conſuluit, putat Monrous lymphatica eſſe genus vaſorum lacteis ſubſervientium; ovipara vero lacteis carere . Exiguas autem & innumeras radiculas venarum Meſentericarum in oviparis chylum reſorbere, ex eoque fieri , ut intime poſſit cum ſanguine permiſceri, & in Hepate perfici antequam ad cor perveniat , ut ad vitandum nimium ſtimulum erat neceſſarium . In Viviparis vero bina abſorbentium genera eſſe neceſſaria: alterum ſcilicet venarum rubrarum fines, ut tenuiorem, & magis aquoſam fluidorum partem ad cor veherent : alterum ſcilicet lymphatica ut reſorberent partem, quæ animali naturæ aſſimilior eſt, ſaponacea , eaque chylo vehendo idcirco deſtinata . Quod confirmatur obſervato diſcrimine intercedente inter fluidum quo madent, aut quod colligitur in majoribus corporis cavis , & illud quod vehunt lymphæ ductus . Hæc fere ſunt, quæ ad ſententiam propriam , quæque Phyſiologorum fere omnium conſenſu traditur, tuendam, adducit Monrous.

Hun-

Hunterus vero in ſæpius laudato libro (b) hæc habet : conſideraſſe ſæpius undenam in cavis majoribus & minoribus corporis fluidum quod colligitur, adveniat, qua via ex. gr. aqua in Anaſarca ad celluloſam tunicam perveniat. Ex vulgari opinione ipſam ex arteriarum extremis oſculis exſtillare, ſed videri ſibi, eam potius ex vaſorum tunicis ac lateribus exſudare ob ſequentes rationes. Anatomicorum Experimenta & injectiones ad id probandum inſtitutas æque conficere ut fluida illa extillent, ac exſudent. Sed immo ea experimenta potius exſudationi favere. Nam tenuia ac penetrabilia fluida in arterias Meſentericas injecta in inteſtinorum cavum tranſiiſſe, colore vero rubro infecta non tranſiiſſe, niſi cum vi adhibita diſrumperentur earum extrema : indicio in primo caſu exſudaſſe, non extillaſſe. Celluloſam membranam non immediate repleri injectione facta in arterias, ſed mora aliqua intercurrente, atque ita ut quo magis evacuantur arteriæ, repleantur cellulæ. Aquam & ſanguinem preſſione adhibita vehementiore per ſubſtanti-

(b) Commentaries &c. Chap. of reſorption.

am carnium & tunicarum tranſudare: ſed etiam unicuique conſtare, ex tunica cyſtidis bilem exſudare & contiguas partes colore ſuo ſingulari inficere, vaſa autem peculiaria, quæ id præſtent, eo loco deeſſe. Sanguinem vero non exſudare in vivente, tum quod in eo ſtatu fibræ preſſius inter ſe colligatæ ſunt, tum ſanguis certa gaudet tenacitate, quæ perit dum ipſe ad putrefactionis gradus varios morbo declinat, hinc penetrare ſe ſe in ſtatu ſano non attingit. Demum experimenta a Joanne Huntero capta fuiſſe ejuſmodi, quæ in eo libro fuſe referuntur, ex quibus manifeſte colligitur, ex inteſtinis tenuibus & craſſis omnino nullum patere tranſitum in venas & arterias ſanguiferas, vel injectio fiat per vaſa, vel per inteſtina.

Ego quidem cum utriuſque ſententiam videam exquiſitis ratiociniis pertractari, experimentum unum atque alterum eorum quæ Hunterus recenſet iteravi, aliud etiam addidi. Vituli recenter enecti, aperto Thorace, & Pericardio citiſſime ſublato, arteriam ventriculo ipſius ſiniſtro reſpondentem ad trium digitorum tranſverſorum diſtantiam a baſi cordis aperui, omnemque per eam viam cruorem preſſione manuum

ex-

expreſſi. Dein vero bis terue aqua tepente replevi ventriculum, donec nullo commixta ſanguine reflueret. Tum per eamdem arteriam lac calidum intuli, uſque dum ventriculus omnino repletus eſt, & tandem paulo infra priorem ſectionem, ligaturam injeci, cujus ope lac premebatur nonnihil intra cavum ventriculi. Cor denique repoſui, ut aliquantiſper naturali calore viſcerum foveretur.

Interim vero in jleo inteſtino ligaturam injeci vaſis ſanguiferis ad ſex digitorum diſtantiam ab inteſtino, qua ſimul intercepta Meſenterii portione inteſtinum ipſum comprehendi: dein digitis premendo ſenſim contenta intra ipſum ejeci, atque ad ſpitamæ majoris longitudinem alterum injeci vinculum eadem ratione ut ſupra. Poſtea lanceola facto foramine ſub priori ligatura, aqua tepente cavuum inteſtini bis lavi, atque per intruſum tubulum lacte calido replevi, quod altero vinculo nonnihil ſubter foramen, continui.

Tandem ſumpta altera inteſtini ejuſdem portione, eadem ſum executus, & lactis loco, replevi liquore, colore cæruleo, farcto, & intra ventrem per horę dimidium recondi, antequam quid contigerit obſervarem. Ac-

curate deinceps ea viſcera rimatus fluidorum injectorum partem omnino nullam in ſanguifera ſe ſe penetraſſe obſervavi , nec iiſdem vaſis lanceola pertuſis , quidquam liquoris injecti eas legiſſe vias , nec etiam in cordis ſubſtantiam ex cavo ventriculi aliquam partem prorepiſſe . Ad reliquas vero Monroi rationes , dubitare ſe maxime Hunterus perhibet , num Ovipara , num placenta lymphæ ductibus careant , atque illiuſmodi eſſe rationes , ex incertis nimis principiis derivatas . Experimenta vero quæ adducit ex injectionibus ab ipſo & ab aliis Anatomicis inſtitutas , experimentis ab Joanne Huntero captis pugnare ; injectionis autem opus niſi exquiſita perfectum induſtria ſit , errores inducere graviſſimos , quorum exempla plura prudenter refert . Demum opinionem hanc novam non eſſe , ſed pridem a Gliſſonio propoſitam , ex vaſorum tunicis fluida exſudare , non extillare oſculis , animadvertit .

6. Ex ſingulis vero morbis a lymphæ vitio derivatis pertinaciſſimi ſunt , qui articulis inſident , & genua potiſſimum obſident , albi idcirco tumores nuncupati , quorum cum primis pertinax indoles eſt ,

ſicubi

ſicubi ex interna tantum qualibet ſanguinis affectione, proficiſcuntur, atque ſolius naturæ niſu propelluntur exterius. Quare in eorum curatione, a ſuppurantibus præſertim abſtinendum eſt, ſordida alioquin ulcera, & depaſcentia effecturis, niſi forte id quandoque, natura monſtrante viam exequi oporteat. Hinc utcumque gravior quælibet in ſanguine morbi cauſa ſubſit, præſtat ſemper reſolutionem attenuantibus, & digerentibus ſacculi medicati ad inſtar, aut fomenti forma, moliri, niſi quod ubi firma cœterum corporis conſtitutio fuerit, levior morbi cauſa, recens, neque ullo miaſmate correptus æger, multo quidem utilius agi poſſet, ſi præmiſſis per dies aliquot aqueis & laxantibus, leviſſimæ hinc inde acupuncturæ inſtituerentur, quibus hæreſcens intra minima vaſa liquor ſenſim ſubduci poſſet. Quam medendi rationem ſaluberrimam etiam futuram judico in iis, quibus poſt acutas febres cruribus in tumorem albidum elevatis, nonniſi poſt diuturniorem remediorum multigenum uſum, levamen aliquod affertur, ſæpe morbo penitus non ſublato, utcumque evacuantia, diuretica, digerentia, diutiſſimè fuerint uſurpata. Acupuncturis vero caute inſti-

 tutis,

tutis, fomentis aqueis & emollientibus fovenda nonnihil affecta pars, usque dum lymphaticus tumor omnino subsederit: quod ubi fuerit assecutum tum ab corroborantibus, & fasciarum præsertim circumvolutione apposite usurpata, curatio reliqua petenda est. Verum multo quidem cautius cum iis agendum est, quibus aut ex ictu valido, aut ex prædominante sanguinis diathesi, & Venerea præsertim, tumor hujusmodi exortus est: namque ad morbi resolutionem omni ope nitendum est, cum sæpe fiat, ut suppuratione præmature sollicitata, pessimæ naturæ fungosa ulcera consequantur, arte nulla ut plurimum, aut artus amputatione tantum, quandoque sanescenda: (c) ut idcirco in iis eâ utilior nulla methodus excogitari queat, quæ fit primo balneis ex emollientibus tantum paratis, per que dies plurimos adhibitis; dein vero accensi vini spiritus vapore, cui bis in die per horæ spatium affectum genu obiicitur, donec non ommissis universalibus lymphæ vitio oppositis, evanescente sensim tumescentia, ab exsudante per cutis foramina, lympha, Emplastro

No-

(c) Ess. Med. Vol. 4. art. XVIII. XIX. XX.

Norimbergensi , naturale robur articulo , non ſine faſciarum adminiculo , reſtituatur .

7. Libet elegantem conjecturam Joannis Hunteri (d) huc pertinentem exponere . Quærit enim cur Thoracicus ductus ad ſuperiorem uſque cavam aſcendat , nec quod brevius fuiſſet iter , in inferiorem immittatur . Ejuſque naturæ inſtituti rationem eſſe conjicit , ut chylus majorem viam percurrens intimius cum lympha ex univerſo corpore adveniente commiſceretur , magis idcircò animali naturæ redderetur aſſimilis .

8. Appoſita quidem , imo quandoque neceſſaria Bubones Venereos per reſolutionem curandi ratio in Praxi obſervatur , cum nimirum aut neglectu ægrotantis , aut ex pertinaci morbi indole , inutilia ſuppurantia quælibet experiuntur , affecto a lue corpore univerſo . Quicquid enim nequit ejici per ſuppurationem , præſtat per alias vias morbificæ materiæ exitum moliri . Utrum vero deceat , curationem iſtiuſmodi auſpicari purgantibus validioribus , quibus nonnulli tanquam ſpecificis utuntur

(d) Medic. comm. pag. 35.

tur & singulis indiscriminatim propinare solent nulla morbi habita ratione, aliis dijudicandum relinquo. Illud tantum animadverto, fieri sæpe, ut ex imprudenti, & alio tendentium remediorum usu, fractis sensim naturæ viribus, in longe difficiliorem ægrotantes istiusmodi coniiciantur ægritudinem, atque aut vagis doloribus, aut febre diuturniori, vel alio quopiam morbo detenti, vel peritissimos etiam medicos non raro fatigent; neque tandem absque mercurii usu consanescant: quo profecto pejus nihil, quam si gonnorrhæa virulenta Buboni conjuncta sit; ut idcirco luculenter appareat ex propositis duabus, eam tutiorem methodum esse æstimandam, quæ Bubonum suppurationem movendo perficitur.

9. Verum tamen si Venereum virus subierit alveum sanguinis, simulque Bubone Venereo disrupto morbus consocietur, generalis ex discrasia sanguinis totius ægritudo consequitur, & ut plurimum acuta, maligna, putrida febris erumpit, quæ utcumque communi methodo curari debeat, ejus tamen curationem a Bubonis medela potissimum pendere, observatione sæpe compertum est: quippe cum

ob

ob delitescentis intra sanguinem veneni vim, affecta pars plurimum, atque potissimum determinato ibidem morboso seminio obruatur, idcirco ante omnia suppuratio sollicitanda, cujus adjumento virulenti quicquid ejiciatur. Hinc etiamsi gangræna inguinales glandulæ corripiantur, quod non raro contingit, si tamen scarificationibus ejusdem sistatur progressus, si digerentibus antisepticis commixtis putrescentium partium separatio sollicitetur, illud tandem consequitur, ut cœffrenata plurimum veneni vi, nonnisi sordidum curandum ulcus supersit: in quo tamen fere semper observari contingit, ut inguinales glandulæ, modo plures, modo pauciores sint exscindendæ, perfectam alioquin curationem impediturae. Atque in earum excisione illud est cum primis animadvertendum, num videlicet rubicundæ singulæ, firmiterque cum subjectis adhuc partibus cohæreant, sibique proxima sit quælibet, an vero ab angusto pendeant nonnullæ petiolo. Nam quæ se mutuo contingunt, ulcerisque cavuum satis apte replere videntur, ne rescindantur ratio postulat: quandoquidem suffecta per eas deperdita ob ingentem suppurationem substantia, multo ci-

tius

tius ulcus glutinatur, dummodo exficcantibus, & blandioribus quandoque rodentibus, quæ præter cutis fuperficiem excrefcere videntur, abfumptæ fenfim deprimantur. Quod fi ex angufta pendeant radice, albidæ, decolores, inter fe diffitæ fint, præviderì facile poteft, futurum ut fenfim marcefcentes, fponte tandem decidant, curatione multo longius producta. Quare tutius evelluntur, fi ligatura fenfim in dies ftrictiori injecta fit, ut in putridum quafi liquatæ tabum concidant. Ad reliquam vero ulceris curationem quod fpectat, ea multo citius promovetur, ubi febre, & reliquis fimptomatibus fere penitus depulfis, egrotanti ex mercurialibus nonnulla deffumpta exhibeantur, quibus non tantum ulceris curationi adjuvetur, verum etiam reftitantis intra fanguinem veneni quicquid ejiciatur. Hujus autem rei non vulgarem proferam obfervationem. Ann. 1758. menfe Aprilis in Nofocomion delatus eft homo temperamenti Plethorici, & humidi, cui poft fextum ab impuro congreffu diem, Phymofis & Bubo in dextero inguine cum virulenta gonnorrhæa apparuerunt. Acuta febre, dolore capitis, fiti maxima, aliifque fimptomatibus deti-

ne-

nebatur, quibus effectum est, ut non modo Bubonis suppuratio citissime consequeretur, quem ilico longa sectione aperui, verum etiam dissecti prima die præputii latera, in sordidum ulcus commutarentur. Utcumque vero, neque sanguinis missiones, neque diluentia antiphlogistica, tenuis victus ratio, & paulo frequens deligatio fuerint prætermissa, invalescente, tamen undecima præsertim die morbi gravitate, prima nasciturae gangrænæ signa, in inguine, & in glande penis apparuere; quæ ut evitaretur, & scarificationes, & fomenta ex antisepticis validioribus parata, usurpavi, non relictis iis, quæ ex Bezoardicis, attenuantibus, & naturæ morbi oppositis, interius propinari solent præsidia. His autem parum aut nihil proficientibus, sensim in dies propagata gangræna est ita, ut ultra os Pubis superius & marginem ossis ischii ex una parte, ex altera vero in latere interiori & superiori ossis Femoris ad quatuor digitorum transversorum latitudinem proserperit, totumque simul penem occupaverit. In tanta morbi, & simptomatum gravitate contigit tandem, ut decimo quarto die sudor Criticus erumpere cœperit, quo per idonea remedia sollicitato,

effe-

effectum eſt, ut ſenſim ſimptomata quæ vis remiſerint, & gangræna ipſa conſtiterit. Tum vero victu tenuiſſimo, & cardiacis ſæpius in die repetitis, roboratis viribus, emollientia & laxantia undique applicui, quorum ope a ſubjectis ſaniſque partibus eſchara gangrænoſa ſecerni, cœpit, reſectiſque forfice, quæ jam putruerant, quotidie partibus, prægrande tandem ulcus curandum ſuperfuit, cujus ad ima albicantes nonnullæ interjectæ hærebant glandulę. Penem vero emarcidum jam omnino factum, cum arte nulla ſervari potuerit, die decimo ſeptimo morbi, forfice ad radicem fere ipſius abſcidi, ex eoque nonniſi paululum urethræ reſtitit, per quam urina emittebatut. Reliquum curationis ſequenti ratione ſum executus. Glandulis nimirum per injectam ligaturam poſt dies aliquot ſublatis, ulceriſque cavo digerentibus abſterſo, Balſamicis dein pulveribus ex Olibano, & Maſtice præſertim cum ſiccis filamentis in cavo ulceris uſus ſum: circa oras ipſius vero, Unguento de Bettonica, donec nova ſubſtantia undique ſuffecta, exſicantibus & Epuloticis poſt tres menſes cicatrice obductum eſt. Hujus autem temporis intervallo, nimirum ex quo febris omnino

nino evanuit, decocta ex Guajaco, saxaphr. Visc. querc. Bardan. cann. mont. Liquerit. Antimon. crud. præmisso singulo mane Bolo ex Extr. Lign. S. Mercur. dulc. granis aliquot suffecto, assumpsit, & ut urinam commodius proijcere posset, plumbea cannula instructus, quam pro re nata intra urethram immittebat, instructus, pristinæ sanitati restitutus abiit, & adhuc incolumis vivit.

Verum hujusmodi glandularum per ligaturam excisio non tantum in inguinibus, verum etiam maxime convenire videtur, ubi axillares glandulæ ob suppurationem denudatæ fuerint: quippe quibus immediate subsunt sanguifera majora vasa, quibus neque corrodens quodlibet medicamentum, apposite aut sine periculo applicari potest, & plena discriminis subita earumdem excisio jure debet æstimari.

Ad eam vero glandulæ primo tumescentis excisionem quod attinet, animadvertere est, non ubique in corpore absque gravi ægrotantis periculo operationem istiusmodi fieri posse ut idcirco primum ejusdem exscindendæ natura, & peculiare munus sit explorandum, antequam quicquam perficiatur. Nam Parotis glandula, quæ tam sæ-

pe

pe post acutas malignas febres in tumorem attollitur, optimam ab suppuratione tantum sollicite procurata curationem recipere videtur, idque constanti observatione confirmatum est. Cum autem non semper eadem hujusce glandulæ conditio sit, atque non raro lymphatico tantum humore farcta distendatur, nunquam satis propterea vulgarium Chirurgorum methodum damnandam censeo, a quibus indiscriminatim, quocumque morbi genere ea glandula detineatur, unum idemque semper medicamenti genus solet usurpari, quo fit ut ex minus accomodata morbi naturæ remediorum qualitate, sensim indurescens, scirrhi tandem naturam induat. Quare si quando serosa tantum colluvie Parotis occupatur, quod ex accurata tumoris ipsius exploratione dignosci facile potest, illud tantum acturum se Chirurgus arbitretur, ut calidioribus præsertim & suppurantibus, tum etiam repellentibus omnino semotis, attenuantia tantum & diluentia fomenti aut cataplasmatis forma exterius adhibeat, ea potissimum servata cautione, ut eodem tempore frequentem oris collutionem imperet per idonea gargarismata salivæ excretionem leniter moventia, cujusmodi

sunt

ſunt , quæ ex aqua ſtillatitia Malvarum ſale Prunellæ , aut ſucco liquiritiæ concreto utiliter uſurpantur . Ipſo namque monente Hippocrate , (e) per ſalivationem leniter tumores excitatam iſtiuſmodi diſsolvuntur . Eadem porro quoad ſubitam excisionem lacrymalis obſtructæ glandulæ & teſtium ratio eſt, quippe quibus potiſſimum aptiora externa proficiunt, ſi inflammatæ aut induratæ ſint . Cœterum quæ quandoque ad mammas poſt graviores ictus, ad oris labia , ad pudenda erumpunt glandulæ, multo quidem utilius exſcinduntur , ex eo imprimis , quod ex hujuſmodi operationis neglectu, ſubſequente ſenſim ſuppuratione , in peſſimi moris ulcera, cancri naturam præſeferentia citiſſime mutantur.

10. Id autem morbi genus in fœminis potiſſimum obſervatur , cum primæ menſtrui ſanguinis eruptioni proximæ ſunt : In quo naturæ conatu , ſi lympha viſcidior abundet , ægre fit per uteri vaſa ſecretio , & difficultatem iſtiuſmodi appa-

F ren-

e) Coac. Prænot. ſect. II. n. 204. Tuſſiculæ quæ cum crebris oris ſputationibus procednnt, tubercula ad aures emolliunt.

rentes in collo ſtrumæ prænunciant: quippe quæ univerſi lymphaticorum ſyſtematis morboſam indolem patefaciunt; ut idcirco prudentis Medici munus illud eſſe videatur, craſſioris lymphæ vitium adimere, antequam menſtrua per ſuas vias ſollicitentur. Qua propter præterquamquod indoles morbi optime prænoſcenda eſt, præſtat etiam in curatione ipſius naturæ ductus ſequi, cum ſæpe obſervetur, ut vigente morbo, ipſa curandi viam natura præmonſtret, quemadmodum anno ſuperiori in Virgine, annorum quatuordecim, cui nondum eruperant menſtrua, mihi contigit obſervare. Correpta namque glandularum colli plurium ſuppuratione in latere dextero, ob eamque cauſam in Noſocomium delata, poſt aliquot dies acuta febris acceſſit, quæ toto morbi tempore cum benigna diarrhæa fuit conſociata. Invaleſcente in dies morbo, & nullo ad cohibendam diarrhæam adhibito remedio, exceptis iis quæ ad febris vim coercendam ſolent uſurpari, gangræna ab inferiori auris lobo ad extremum uſque externum claviculæ propagata, partes ſingulas corripuit, utcumque digerentia validiora antiſepticis commixta non omiſerim. Ea

tan-

tandem & febre nonnihil cohibita, effectum est, ut sensim quæ putruerant partes separarentur, ipsæque glandulæ marcescentes sponte deciderint, prægrandi superstite ulcere, cujus glutinatio sarcoticis primum, dein vero exsiccantibus perfecta fuit; febre aliisque symptomatibus omnino depulsis, perseverante diarrhæa, per dies fere viginti, Thermalibus aquis, quas Beatæ Virginis nostri vocant, uti potuit. Quo elapso tempore, & ulcus glutinatum est, & menstrua sponte erumpere absque ullo alio remediorum auxilio cœperunt. Ex quo illud etiam utiliter in Praxi Medica intelligitur, minus recte videlicet ab iis fieri, qui repetita sanguinis eductione, præter cœtera ad cienda menstrua passim commendata, strumarum curationem eodem tempore auspicantur: idque potissimum in causa esse arbitror, cur nonnulli diutissime frustra laborent, potiorem morbi causam in solo sanguine agnoscentes, quæ in lymphaticis tantum vasis, ut plurimum delitescit. Quare ea cum primis optima curatio videtur esse, quæ lymphæ vitio opposita, acrem viscidamque ipsius indolem mulcere, ac temperare valet, motumque te-

tenuiſſimi humoris lymphatici per ſua vaſa faciliorem reddere. Porro cum colli glandulas in tumorem attolli fere nunquam, quin ſimul eodem affectæ morbo ſint Meſentericæ medicorum plerique (f) tradiderint: atque ex generali conglobatarum obſtructione, & quolibet lymphæ vitio, glandularem tabem ſequi poſſe, præter alios, evidentiſſime & rationibus & obſervationibus Ruſſellus oſtenderit (g): illud ipſe ex eadem ratione recte opinatus eſt, frequentiſſimum morbum atque lethalem infantibus, atrophiam videlicet, ex Meſentericarum conglobatarum obſtructione pendere: & ratione non diſſimili in Scorbuto, Rachitide, Hipocondriaco morbo detentis, ab affecto Lymphaticorum ſyſtemate, principem repetendam eſſe morbi cauſam: ut idcirco aſſerere jure quiſpiam poſſit, Theoriam Chronicorum mormorborum plurimorum legitime ex hoc lymphæ ductuum ſyſtemate eſſe derivandam.

(f) Morgagn. Epiſt. IV. num. 26. Barbett. prax. pag. 28. Andry orthoped. pag. 127. Riolan. Enchirid. Anat. Patholog. pag. 110.

(g) De Tabe glandulari, ſive de uſu aquæ marinæ in morbis glandularum diſſertatio. tum in diſſertat. Epiſtolari.

dam. Abſolutam vero morborum iſtiuſmodi, & ſtrumarum præſertim curationem, feliciter obtineri poſſe aquæ marinæ potu laudatus Ruſſellus (h) pluribus obſervationibus confirmavit. In qua tamen ſuſcipienda curationis methodo, illud animadvertendum eſſe ipſe admonet, (i) ne aquæ marinæ potus cuilibet ſuadeatur, ubi jam ſtrumarum ſuppuratio ſecuta fuerit, aut præſenti inflammatione glandulæ detineantur. Namque ubi id forte contigerit, curationem & ipſe inchoandam eſſe ſuadet, eadem ratione, qua partis cujuslibet alterius inflammatæ inſtitueretur, plurimaque in Praxi obſervata proponit, quæ, quibus nam cum fructu aquam marinam propinare deceat, quibus vero ejuſdem uſum prorſus interdicere, luculenter demonſtrant. Porro cum recte inſtitutæ curationis exitum ab eo potiſſimum pendere pluries obſevaverit, ſi poſt aquæ marinæ potum in Balneum ejuſdem aquæ frigidum mergatur æger, præſertim ubi cutanea quælibet affectio ſimul eruperit; cautiones propterea ſingulas in eorum Balneorum uſu, quoad an-

(h) Loc. cit.
(i) Pag. 14. & Aphor. 23. 25. 30.

ni tempus, durationem, progressum, (l) corporum naturam, situm maris, aliaque plurima, indicat, a quibus cum certe maximam capturum quemlibet utilitatem pateat, Auctor idcirco sum, ut Cl. hujusce Viri egregius liber a salutaris artis cultoribus legatur.

11. Symptoma occurrit in morbo Venereo cujus explicationem nec Astrucius nec alii aptam hactenus proposuerunt. Cum in pene aliqua est affectio, speciatim dum ulcera in eodem sint, frequenter observatur rigens chorda, non absimilis a forma exilis intestini juxta membri hujus longitudinem procurrentis: Nonnumquam binæ, in singulis scilicet lateribus adsunt. Initio percipitur in extremo pene ab affecta parte procedens, sed continuo extenditur ad radicem hujus organi, frequenterque ejus ductus continuatur in Pubis parte adiposa versus inguina. Ex ipso ductu patet non esse nervum, arteriam, aut venam. Conjicit Hunterus (m) esse vas lymphaticum veneno contento obduratum, sed ex dissectione, hujus rei testimonium habere non potuit.

12.

(l) In utraque dissertatione.

(m) Medic. Commentaries pag. 21.

12. Quæ porro per inunctionem curatio, utcumque in singulis glandularum morbis ex lue Venerea derivatis utiliter usurpetur, in ejus tamen usu binæ palmares animadvertendæ occurrunt indicationes, ut nimirum opportuno anni tempore instituatur; tum vero ut æger neque acuta febre, nec alia qualibet gravi ægritudine detineatur. Quibus præmissis, tutiorem futuram esse curationem, docet experientia, si priusquam eadem usurpetur, per dies aliquot lignorum decocto superius num. 9. memorato, addita salsa Perilla imbuatur æger, & ad horæ spatium in Balneum tepentis aquæ mergatur quotidie, quo nimirum reseratis cutis ostiolis, mercurio postmodum subituro facilior via paretur. Quem quidem balneorum usum, non tantum in morbis Mercurio prædicta ratione curandis saluberrimum esse judico, verum etiam in pluribus aliis, iisque præsertim in quibus universum lymphaticorum systema affectum esse cognoscitur. Cæterum qui morbi hyemali præsertim tempore ex lue Venerea in glandulis conglobatis erumpunt, (quippe quod minime opportunum balneis & inunctioni videtur, etsi aliquando feliciter

ſoleat inſtitui) alia prorſus ratione curari debent quemadmodum ex hiſce binis obſervationibus apparebit. Anno ſuperiore in Noſocomio curandum ſuſcepi militem ſuppurato Bubone affectum, alias virulentam gonnorrhæam paſſum, qui Bubo in ſordidum ulcus abierat, proximamque minitabatur gangrænam. Præmiſſis igitur iis, quæ febrim, cœteraque ſymptomata cohibere poterant, ulcus interim ſerpendo ſenſim prægrande factum eſt, morbifica ibidem determinata labe. Quare alvo primum & identidem per clyſterem ſubducta, Mercurii dulcis ad grana quinque, cum Extr. lig. S. & Card. Bened. in bolum redacti ſinguli diebus mane exhibui & pro potu quotidiano decocto lignorum uteretur juſſi, non omiſſis in ulcere digerentibus cum antiſepticis commixtis. Horum vi ſenſim effectum eſt, ut ſublato per benignam diaphoreſin, & uberrimam ulceris ſuppurationem miaſmate, deterſum ulcus, nova repletum ſubſtantia & cicatrice obductum fuerit, ægerque poſt duos fere menſes convaluerit. Hæc autem dum ſcribo, curationem in Noſocomio ad exitum perduxi hominis annorum circiter triginta, temperamenti calidi & humidi, ſtrumoſo ulcere

ad

ad latus colli dexterum, duobus exhinc annis affecti, cui ferme innumera remedia externa vix quicquam profecerunt. Eruperant autem huic ſtrumæ, ex quo virulenta gonnorrhæa correptus, paucos intra dies ab Empirico curatus fuerat. Huic autem in Noſocomium recepto, catharſi procurata per Pillul. Belloſte dr. i. juſſi, ut ſingulis diebus libras decem decocti ex lignis biberet, quo vaſa ſingula imbuerentur. Elapſis octo diebus iterum eodem Cathartico alvo reſerata, ſanguinem altera die ex brachio mitti curavi, quo Plethora minueretur: deinde eamdem inivi curandi rationem quam paulo ante deſcripſi. Interim vero ulceratis glandulis nonniſi commune digerens applicavi, quo ſollicitata puris ſeparatione, ipſarum durities & tumeſcentia nonnihil minueretur. His autem factum eſt, ut tertia die ſudor quotidie mane erumpere cœperit, & multo uberior glandularum ſuppuratio conſequta fuerit, pernicioſo tamen nullo apparente ſymptomate, excepta tantum ulceris dilatatione, quod blandioribus ſemper digerentibus antiſepticis ſuffectis fovere volui, donec ſponte quaſi ſua ſeroſo, tenui humore ſenſim imminu-

to , ſimulque ſudore evaneſcente , quadraginta dierum ſpatio, Unguento ex gummi & reſinis confecto, ulcus feliciter glutinatum eſt.

F I N I S.